



4)

ELEMENTA
Linguæ Persicæ,

AUTHORE
JOHANNE GRAVIO:

ITEM
Anonymus Persa
DE
SIGLIS
ARABUM & PERSARUM
Astronomicis.





LONDINI,
Typis *Jacobi Flesher*: Et prostant apud *Cornelium Bee*,
in vico vulgò voc. Little Britaine.
CIↃ IↃC XLIX.

Amplissimo, ac Eruditissimo Viro,

D. JOHANNI SELDENO.

N*ONUS annus agitur (Nobilissime* SELDENE) *ex quo hæc* rudimenta Linguæ Persicæ *in publicam lucem edere in animum induxeram. Sed typis destitutus, et gravioribus curis districtus (suscepto in Orientem itinere) in alia tempora magis commoda, eum laborem differendum judicavi. Quod igitur singulari tuâ humanitate inductus in mè primò susceperam, tuóque etiam judicio jampridem comprobante perfeceram, id tibi ex*

æquo, et bono, nuncupandum esse duxi. Non quasi putem adeò levidensi munere tuo nomini quidpiam splendoris accessurum, sed ut, siquid inde commodi studiis humanioribus accreverit, tibi pro maximis in remp. literariam meritis, hæc qualiscunque gratia rependatur.

Tibi addictissimus

Johannes Gravius.

Elemen-



Elementa Linguæ
PERSICÆ.

GRAMMATICA est ars benè loquendi, ut Persis Persicè, Arabibus Arabicè.

Partes ejus præcipuæ duæ sunt; *Etymologia*, et *Syntaxis*.

Etymologia est ea pars Grammaticæ, quæ præcipit de voce.

Vox est nota, quâ unumquodque vocatur.

Vocis partes duæ sunt; *Literæ*, et *Syllabæ*.

Literæ sunt, vel *Consonæ*, vel *Vocales*.

Consonæ Persis numerantur duæ et triginta; quarum figura, nomen, potestas, et ordo, sequenti tabellâ indicantur.

Ordo.	Potestas.	Nomen.	Figura. In fine.	Figura. In medio.	Figura. In principio vocis.
1	Spiritus lenis.	Elif.	ا ـا	ا ـا	ا
2	B.	Be.	ب ـب	ـبـ	بـ
3	P.	Pe.	پ ـپ	ـپـ	پـ
4	T.	Te.	ت ـت	ـتـ	تـ
5	ç. Hispanic. vel S. Angl.	Se.	ث ـث	ـثـ	ثـ
6	G. Gallicum, vel j. Italicū.	Gim.	ج ـج	ـجـ	جـ
7	Ch. Anglicum.	Che.	چ ـچ	ـچـ	چـ
8	Hh.	Hha.	ح ـح	ـحـ	حـ
9	Ch. χ·	Cha.	خ ـخ	ـخـ	خـ
10	D.	Dal.	د ـد	ـد	د
11	Z.	Zal.	ذ ـذ	ـذ	ذ
12	R.	Re.	ر ـر	ر ـر	ر
13	Z.	Ze.	ز ـز	ز ـز	ز
14	Zh. Ang. Tz. Italicum.	Zhe.	ژ ـژ	ژ ـژ	ژ
15	S.	Sin.	س ـس	ـسـ سـ	سـ
16	Sh. Anglicū, ch. Gallicū	Shin.	ش ـش	ـشـ شـ	شـ
17	Sf. Angl. Zz. Italicum.	Sad.	ص ـص	ـصـ صـ	صـ
18	Z.	Zad.	ض ـض	ـضـ ضـ	ضـ

Ordo.	*Poteſtas*	*Nomen.*	*Figura.* In fine.	In medio.	In principio vocis.
19	T.	Ta.	ط ـط	ـطـ طـ	طـ
20	Z.	Sa.	ظ ـظ	ـظـ ظـ	ظـ
21	A. vel ע Hebr.	Aïn.	ع ـع	ـعـ	عـ
22	G. Anglicum.	Gaïn.	غ ـغ	ـغـ	غـ
23	F.	Fe.	ف ـف	ـفـ	فـ
24	K.	Kof.	ق ـق	ـقـ	قـ
25	CvelK.	Kaf.	ك ـك	ـكـ كـ	كـ ك
26	Kh. vel Gh.	Ghaf.	گ ـگ	ـگـ گـ	گـ گ
27	L.	Lam.	ل ـل	ـلـ	لـ
28	M.	Mim.	م ـم	ـمـ	مـ
29	N.	Nun.	ن ـن	ـنـ	نـ
30	V.	Va.	و ـو	ـو و	و
31	H.	He.	ه ـه	ـهـ	هـ
32	Y.	Ye.	ي ـي	ـيـ	يـ

Figura

Figura Conſonarum eadem eſt Perſis ac Arabibus, eoſdem etiam nexus, et ductus characterum uſurpant: qui, pro diversâ connexionis et ſitus ratione, varii, et multiformes ſunt; alii in principio, alii in medio, alii in fine dictionis.

De quibus ne videar actum agere, doctiſsimi *Erpenii* Grammaticam Arabicam conſulas ſuadeo, à quo hæc omnia dilucidè explicantur.

Καλλιγραφίας Perſæ ſtudioſiſsimi ſunt; magis tamen pendulo, & involuto charactere, quàm Arabes utũtur, qui propterea خَطُّ تَعْلِيق vocatur; unde ſcriptura lectu paulò difficilior exurgit. In ſtudioſorum gratiam pauca annotare operæ pretium duxi: in quibus, vel propter ſimilitudinem, vel exilitatem literarum, promptum eſſet errare.

ه et ر in libris MSS. ſæpè videntur confundi, paulò tamen attentiùs inſpicienti ita diſtin-

diſtinguuntur : ر *Re* ſemper infra lineæ baſim demittitur, د *dal* verò ei inſiſtit, & ut nonnihil altior eſt, ita aliquanto incurvior.

Similiter in connexione cum literis præcedentibus, د *Dal* perpetuò attollitur, ر *Re* deprimitur.

Eadem lex eſt diſcernendi inter ذ & ز et ژ quæ eandem cum prioribus figuram obtinent, & ſolummodo punctis variantur.

ن etiam á د diſtinguitur, vel quòd ن caput craſſum habet, & caudam exilem, د caput tenuius, caudam obtuſiorem : vel quòd ن ſemper infra baſim lineæ protenditur, د ſupra.

ذ د ژ ز ز ر in principio dictionis, item in medio poſt literas illigabiles (hoc eſt poſt ادذرزژو) diverſimodè formantur : aliquando tam tenui ductu, flexúque calami exarantur, ut aciem oculorum penè effugiant : ideóque major diligentia in eorum veſtigiis obſervandis adhibenda eſt.

Aliquando unâ lineâ exporrectâ, & ſiniſtrorſum declinante protrahuntur. Quod etiam accidit ن *nun* haud raró in fine dictionis.

In medio veró dictionis, cùm utrimque annectuntur, oportet ſingulos flexus attentè advertere, & puncta, quæ non raró ſedibus removentur, ſuis locis ſubſtituere.

In پ et چ ſæpè duo puncta omittuntur, præcipuè ſi ي immediatè ſequatur, et tunc quinque puncta in tria coaleſcunt, ut پير *pir* ſenex, چيز *chiz* res, pro پير, et چيز, nonnunquam tamen ſeparantur, ut پياز *piaz* cepa: & aliquando duo illa puncta in curvam lineolam extenduntur, ut شير *ſhir* leo. quod in ق & reliquis punctatis non eſt infrequens.

س et ش ſæpè in curvam lineam expanduntur, ش ش, & tria puncta ش in lineolam etiam convertuntur, ش ش ش.

Hacte-

Hactenus de consonantium figurâ.

Nomina τεχνικὰ sunt, neque quidquam in iis singulare est.

Potestas, seu valor figurarum, quatenus cum aliis linguis sono consentiant, atque commodè exprimi possint, in tabellâ exhibetur. Verùm tanta est dissimilitudo inter Europæorum, & Asiaticorum prolationem, ut neque ج ح خ ژ ص ط ع ق ab illis aptè pronunciari possint, neque sine vivâ docentis voce satis clarè intelligi. Quàm tamen commodè potui, comparatione factâ cum aliis linguis, qualem habeant vim, et sonum, indicavi.

Notandum etiam literas ز ژ ذ ظ ض vulgò à Persis efferri, ut Angli solent z; ideoque Judæi simplici ז in Pentateucho Persico eas plerunque expresserunt: ژ tamen paulò fortiùs, et majori cum asperitate, quasi zh, vel tz pronunciatur.

كاف فارسي *kaf Persicum*, ſc: گ (nam alterum ك punctis deſtitutum كاف عربي *kaf Arabicum* vocatur) aliter planè à Turcis, aliter à Perſis pronunciatur; illi aliquando ut *ng*, aut ut vulgò y, ſono per nares eliſo, proferunt; hi ferè ut غ, ſeu *g* duriuſculum; ſic گُل *gul* roſa, گاه *gah* tempus. Ideóq; à Judæis in Pentateucho Perſico, typis Hebraicis Conſtantinopoli impreſſo, non raró eodem charactere quo غ inſignitur.

Ordo Conſonantium idem eſt Arabibus et Perſis; numerus etiam idem, ſi quatuor tantummodo excipias پ چ ژ گ quibus Arabes à Perſis ſuperantur, in reliquis conveniunt.

Olim Hebræorum ordinem obtinuiſſe, rejectis ad finem Alphabeti literis, quæ aſperiùs proferuntur, nullus dubito.

Quod, cùm ex epiſtolis Avicennæ Aſtrologicis ad Regem Indiæ ſcriptis, quas penes me

me Perſicè habeo; tum ex ipſius canone medicinæ, qui Romæ prodiit Arabicè, ſtabilire licet: in quo ſimplicia medicamenta *Fen*, ſeu partis ſecundæ, in claſſes ſuas ſecundùm Hebræorum ordinem digeruntur. Et ne plura in teſtimonium citem, Euclidis Arabicè editi propoſitiones, diagrammata, numeri; quin etiam tabulæ omnes, tum Arabum, tum Perſarum, Aſtronomicæ, quas adhuc inſpexi, idem perſpicuè teſtantur. Quo autem tempore, quóve conſilio ordo iſte immutatus ſit, nondum mihi ſatis compertum eſt. dixeris propter Judæorum odium literas و ه ي, quib. ſacrum Dei nomen exprimitur, in calcem eſſe rejectas; & reliquas eſſe perturbatas; quod non nemo doctus ſenſerat: ſed illud impedit, quòd ne ipſi Mohammedani ſatis norunt Judæorũ de divinis nominibus commenta; quin etiamſi noſſent, illi ipſi tamen adeò hâc in re ſuper-

 ſtitioſi

ſtitioſi ſunt, ut nihil ſuprà.

Puto igitur, quantum conjecturâ aſſequi licet, ad majorem ſcripturæ venuſtatem, & ad ſublevandã legendi ſcribendíque moleſtiam, à puerorum inſtitutoribus, aut ab Alcorani ſcribis, qui magno in honore apud Mohammedanos habentur, hodiernam conſuetudinem inductam fuiſſe. Ita enim admodum pauca erunt conſonantium elementa, puta 15, ا ب ح د ر س ص ط ع ق ک ل م ن ه quæ ſi per puncta διακριτικὰ diſtinguantur, ſimilibus inter ſe aſſociatis, 32 characteres efformant: ſono quidem diſcrepantes, ſed propter elegantem ordinem multò intellectu faciliores, *viz.*

ا ب پ ت ث ج چ ح خ د ذ ر ز ژ س ش ص ض
ط ظ ع غ ف ق ک گ ل م ن و ه ي

Atque hæc de Conſonis dicta ſunto; ſequuntur Vocales.

De

De Vocalibus, *& Literarum accidentibus.*

V*Ocalis* eſt quæ per ſe ſonum edit: ideóq; ab Arabibus حَرَكَةٌ motio dicitur, qd veluti motũ animámque conſonæ largiatur.

Apud *Perſas* tres ſunt,

Fatha	بَ	A vel E
Damma	بُ	O vel U
Keſra	بِ	*i* ſæpè *e* breviſsimum.

Earũ productioni tres etiam conſonæ quieſcentes inſerviũt, nempe اوي, quæ amiſſâ ſuâ poteſtate naturam vocalium præcedentium induunt, cúmque iis in unam longam coaleſcunt. ا cum *Fatha*, وُ cũ Damma, يِ cum Keſra; et tunc *Fatha* valet â clarum, ut يَار *yâr* ſocius, پَاس *pâs* rubigo. Verùm *Fatha* cum ا, ſequente م, vel ن, tanquam *o* obſcurum pronũciatur, ut آدميان *adamian* homines; & nonnunquam in principio dictionis *fatha* ſubintellectum, cùm ا hâc ~ notâ fuerit affectum, idem

idem ſonat, ut آسْمَانْ *oſmon* cœlum. Igitur à vivâ voce hæc diſcrimina petenda ſunt.

Damma cum و valet *ou*, ſæpe *û*, ut گُوشْ *gouſh* auris, زُورْ *zûr* violentia.

Keſra cum ي valet *î*, ſive *ie* Anglicum, ut تِيزْ *tîz* acutus, سُوَارِي *ſuárie* equitatio.

Perſæ non rarò in ſcribendo, literas iſtas quieſcentes,atque etiam ه in vocis incremento,vel omittunt,vel inter ſe commutant:adeò ut eadem dictio ſæpe in iiſdem libris diverſimodè ſcribatur.

Illud præcipuè annotandum, Perſas inter loquendum,euphoniæ gratiâ, vocales aliquas adjicere, quas non rarò in ſcribendo prætermittunt. exempli gratiâ, *Madere man*, mater mea, quod ſcribitur مَدَرْ مَنْ, *Hali chubi darem,* benevaleo, حَالْ خُوبْ دَارَمْ, *Chuſh amadi Sákebe man,* Salvus adveniſti Domine mi, خُوشْ اٰمَدِي صَاحِبْ مَنْ

In codicib. tamen optimè exaratis vocales

hæ

hæ adjectitiæ, ي vel ء vel ئ ad calcem dictionum, quoties usus fert, exprimuntur: ne autem pro ي formativo abstractorum, de quibus infrà, sumantur, cautio adhibenda est. Judæi in Pentateucho Persico, ut scopulum hunc evitarent, ي adjectitium per יֵ nonnunquam per יִ præcipuè si dictio in ه terminetur; ي formativum verò per יִ plerunque repræsentant. Quanquam in Pentateucho illo mira est vocalium incertitudo.

Literarum *accidentia.*

PRæter vocales, in usu etiam sunt notæ illæ Orthographicæ, quæ Arabibus vocantur جَزْم giezm, تَشْدِيد Teshdid, هَمْزَة Hamza, & مَدَّة Medda, eodémque officio apud utrosque funguntur. Elif Unionis Persæ non habent, ideóque وَصْلَة Wesla omittitur: frequentissimi usus sunt, Medda, et Giezma.

Medda in principio multarum dictionum ab Elif incipientium supra Elif ponitur, et tunc distinctionis gratiâ dicitur آلف ممدوده, ut ا sine Medda, الف مقصوره, e. g. آغاز *agâz* principium, ابله *ablah* stultus.

Giezma sic ْ solet pingi, literísque omnibus commune est, denotátque earum *quietem*.

Quies literarum duplex est; *Una* designat literam, cui imminet, vocali quidem, seu motione, destitui, sed cum præcedente unam syllabam constituere, ut جنگ *gienc* bellum, خشت *chisht*, later: quòd si duplex sit consonans quiescens, ut in exemplis allatis, priori tantùm giezma supraponitur. *Altera* designat literam omninò non pronunciari, nec majorem ejus rationem haberi, quàm si scripta non esset; hánceque tres tantùm literæ patiuntur, v. d. اوي quiescentes. illâ omnes afficiuntur.

Reli-

Reliquas notas, quòd non magni ſint momenti, & à Perſis plerunque omittantur, deditâ operâ prætereo.

De Vocum *ſpeciebus.*

HActenus vocum elementa expoſita ſunt; proximè, diviſio vocis in ſua genera, & ſpecies, inveſtiganda eſt.

Vox eſt *flexilis*, vel *inflexilis*. Hæc, teſte *Varrone*, prima diviſio in oratione eſt, quòd alia verba declinentur, alia verò nunquam; Vel, ut idem paulò expreſsiùs. *Duo ſunt genera Verborum, unum quod declinando multas ex ſe parit diſpariles formas; alterum genus ſterile, quod ex ſe parit nihil.*

Voces flexiles, declinabiléſque, ſunt quatuor, *Nomen, Pronomen, Verbum, Participium: Immobiles, inflexiléſque* totidem, *Adverbium, Conjunctio, Præpoſitio, Interjectio.* de ſingulis ſuo ordine agetur.

De Nomine.

NOmen eſt vox, per genera, numeros, & caſus, flexilis, aliquid ſignificans, ſine ullâ temporis adſignificantiâ.

Nominum variæ ſunt *ſpecies*; aliæ *à rebus* ipſis ſumptæ, aliæ *à vocibus*.

A rebus; ſic nomen aliud eſt *Subſtantivum*, aliud *Adjectivum*.

Subſtantivum dicitur, quòd in morem ſubſtantiæ per ſe in oratione ſubſiſtat: éſtque vel *proprium*, quod unum individuum denotat, ut هُرْمُزْ *Hormoz*, hoc eſt, Hormiſdas Græcorum enunciatione, يَزْدَجِرْد *Yazdejerd*, ultimus Perſarum Rex, à quo epocha celebris originem traxit, خُرَاسَان Choraſan regio, quæ, ſecundùm Shickardum, reſpondet Veterum Ariæ. vel *appellativum*, quod rem multis individuis communem ſignificat, ut زَنْ mulier, زَمِينْ terra,

شَهْر

شب nox, ترکش pharetra, کمان arcus, دود fumus, رود fluvius, بت idolum, باران pluvia, اسب equus, چشم oculus, چشمه fons, یاد memoria.

Adjectivum autem eſt quod in morem Accidentis ſubſtantivo in oratione adhæreſcit: hujus generis ſunt نیك bonus, بد malus, بلند altus, گرد rotundus, دراز longus, کوتاه brevis, پر plenus, سرخ ruber, سفید albus, چالاك agilis, کدام qualis, هشیار ſobrius, مست ebrius, راست rectus, کج curvus, سخت durus, نرم mollis.

Quoniam verò appellativa, atq; etiã adjectiva, latè patentia ſunt, & vaga, ad certam & determinatam ſignificationẽ appellativa reſtringũtur; vel *regimine*, ut آفریننده آسمان و زمین *Creator cœli & terræ*, ubi ي vel ء non rarò ſubjicitur ſubſtantivo regenti; vel *pronominib. demonſtrativis*, ut این مرد hic vir; vel *affixione* ي notæ ſingularitatis, ſive unitatis,

 aut

aut loco ejus ء , ut بوره Camera, بوري &
بورهء *la chambre* Gallicè, پادشاه Rex, پادشاهي
ὁ βασιλεύς.

Adjectiva restrictis appellativis necessariò restringuntur.

A vocibus, nomen aliud *primitivum*, sive primigenium est, aliud *derivativum*.

Primitivum est quod non aliunde derivatur; éstque fons & scaturigo unde derivativa emanant, ut نيك bonus, خام crudus, خون sanguis, دشمن inimicus, شاخ cornu.

Derivativum est quod originem suam aliunde deducit; éstque duplex, *Verbale*, & *Nominale*.

Verbale multiplex est, vel enim est ipse infinitivus modus, ut دانشمق scire, et scientia; vel formatur à verbi infinitivo addendo كي; vel ي, ut à دانشمق scire, دانشمقكي scientia, ab آمدن venire, آمدني adventus: vel fit à participio temporis præteriti, ut نوشته qui scripsit,

psit, نويسندهكي & نويسنكي scriptio: vel fit à tertiâ personâ singulari præsentis temporis, mutando د in ش, ut à ستايد laudat, ستايش laus; vel à tertiâ personâ singularis præteriti, ut فروخت emit, & emptio.

Nominale, tum à *nomine substantivo*, tum ab *adjectivo* deducitur.

A Substantivo quatuor genera derivantur; *Nomen Actoris*, *Diminutivum*, *Possessivum*, & *Gentile*.

1. *Nomen Actoris* plerunque assumit ad suum primitivum particulam كر, ut كناه peccatum, كناهكر κακοῦργος, ماهي piscis, ماهيكر piscator, كفر blasphemia, كفركر blasphemus, آهين ferrum, آهينكر faber ferrarius.

Nonnunquã terminatur in نده, et fit ab infinitivo, elisis, vel mutatis, literis ultimis, e.g. à خواندن legere, خواننده lector, آفريدن creare, آفريننده creator, بافتن texere, بافنده textor.

Nonnul-

Nonnulla etiam, quæ ab officio, exercitio, vel arte, denominantur, fiunt per additionem particularum, بَانْ et آنْ five يَانْ, ut à دَرْ janua دَرْبَانْ janitor, شُتُرْ camelus, شُتُرْبَانْ camelarius, كَشْتِي navis, كَشْتِيبَانْ nauta, دِيوَارْ murus, دِيوَارْبَانْ latomus.

2. *Diminutivum* eſt quod notat diminutionem ſui primitivi, fitque additione كَ, ut كِتَابْ liber, كِتَابَكْ libellus, دُخْتَرْ filia & puella, دُخْتَرَكْ filiola & puellula, دِلْ cor, دِلَكْ corculum.

3. *Poſſeſsivum*, quod Arabicè per ذُو, Latinè non raró per circumlocutionem, adhibito adjectivo *præditus*, effertur, Perſicè fit adjectione particulæ وَرْ, five وَارْ & دَارْ; ut جَانْ anima, جَانْوَرْ animal, ſeu animâ præditum, رِيشْ barba, رِيشْدَارْ barbatus, ſeu barbam habens, حَيَا verecundia, حَيَادَارْ verecundus, شَاخْ cornu, شَاخْدَارْ cornutus, قَرْض debitum, قَرْضدَارْ debitor, رُوزَهْ jejunium, رُوزَهْدَارْ ieiunus.

Ad

Ad hanc classem cætera *nomina concreta* reduci possunt, quæ aliquando per ور , وار & تار , ut *possessiva* ; aliquando adjectis particulis سار , مند , كين , تاك , مان, دان , formantur : ut à شرم pudor, modestia, fit nomen concretum شرموار & شرمسار & شرمند & شرمكين pudibundus, modestus, ita à شاد lætitia, fit شادمان & شادمانه & شادناك lætus.

4. *Gentile* est quod à Regionum, vel civitatum, nominibus derivatur : fit, eodem modo quo apud Arabas, assumendo ي , ut عراق Irak, عراقي Irakensis.

Simili modo fiunt quæ a propriis hominum nominibus denominantur, ut محمد Mohammed, محمدي Mohammedanus.

Ab *Adjectivo* etiam quædam *nomina qualitatis* formantur, idque dupliciter ; vel postpositâ Adjectivo literâ ا , ut گرم calidus, گرما calor, سرم frigidus, سرما frigus : vel ad-

 jectâ

jectâ syllabâ ـكي si adjectivum in ه terminetur, ut شرمنده pudibundus, شرمندكي pudor: quo casu ه sæpè excidit.

Tam à substantivo, quàm ab adjectivo, *abstracta* derivantur, adjectâ literâ ي, & nonnunquam syllabâ ـكي : à *substantivo*, ut تريكي tenebræ, تريكي tenebrositas, سرما frigus, سرمايكي frigiditas, پيغامبر Propheta, پيغامبري Prophetia.

Ab *Adjectivo*, ut نيك bonus, نيكي bonitas, بد malus, بدي malitia, سبز viridis, سبزي viriditas, سرور Princeps, سروري Principatus, بيدار vigil, بيداري vigilantia, بيمار æger, بيماري ægritudo, درست sanus, درستكي sanitas, حسد invidus, حسدي & حسدكي invidia, صاف clarus, صافكي claritas, نابينا cæcus, نابينايكي cæcitas.

His accensenda sunt *nomina Loci*, & *Temporis*, quæ formantur adjectione ـستان, quod à Lexicographis Persicis ادات اسم زمان واسم

واسم مكان appellatur, h. e. *nota nominis Temporis, & Loci*: Quæ verò ab Arabibus mutuò sumuntur terminationem كان rejiciunt, ut مشرق oriens, مغرب occidens. Plurima etiã nomina Locorum desinunt in ستان, ut ميوستان locus fructuum, i. hortus, گلستان locus rosarum, sive rosetum, گورستان sepulchretum. à ميو fructus, گل rosa, گور sepulchrum.

De Nominum *Accidentibus.*

HActenus de Speciebus Nominum. *Accidentia Nominum* sunt, *genera*, *numeri*, *casus*, & *declinatio*.

Persica nomina numeros, atque etiam casus, sive casuum notas, facilè admittunt; genera verò, quæ vel *motione*, hoc est additione terminationis fœmininæ ad masculinũ, ut apud Hebræos & Arabas; vel quæ *articulis distinctivis*, aut *dispari terminatione* soleant

 discerni,

difcerni, ut apud Græcos, & Latinos, nulla agnofcuntur. Defectus autem ifti in fubftantivis res fexum habentes fignificantibus, fi quando propria vox defideratur, facilè fupplentur per نَرْ quod marem, & per مَادَةْ quod fœminam denotat; ut نَرْ گَاوْ taurus, نَرْ مِيشْ aries, خَرْ مَادَةْ Afina, بُزْ غَالَةْ caper, بُزْ غَالَةْ مَادَةْ capra, كُودَكْ نَرْ h.e. صَبِيّ Puerulus, كُودَكْ مَادَةْ h.e. صَبِيَّةْ puerula.

In rebus cæteris, quibus natura fexum denegavit, nulla præpotens ratio videtur diftincta genera afsignandi.

Unde mirum eft tantam diverfitatem, non folùm in diverfis, fed in iifdem linguis, invaluiffe. Cur Græcis ἡ ὁδὸς, & ὁ λόγος; Arabibus contra ὁ طَرِيقْ via, & ἡ كَلِمَةْ fermo? nifi aut cafu hæc accidiffe, aut majorem ob varietatem primò à logodædalis inducta, pòft ufu confirmata, effe ftatuantur.

Numeri

Numeri.

NUmeri duo tantùm ſunt, *Singularis*, & *Pluralis* : Dualis nuſquā in uſu eſt, ne in ipſis quidem vocibus purè Arabicis, quæ non rarò à Perſis in ſuam linguam traducuntur : licèt hæc aſcititia nomina in Plurali Arabicæ flexionis normam, unde originem ſumpſerunt, aliquando imitentur : quod ſemel monuiſſe ſat eſt. ut حكيم ſapiens, حكما ſapientes, atque etiam حكيمان more Perſico. فايده utile, فوايد utilia, عجيب mirabile, عجايب mirabilia, غريب peregrinum, غرايب peregrina.

Declinationes.

DEclinationes item duæ. *Prima* eſt eorum quæ آن formant in Plurali ; *Secunda* eorum quæ ها : In utriſque nota characteriſtica *Dativi*, & *Accuſativi*, eſt را ; caſus reliqui manent invariabiles.

Paradigma 1ª declinationis in آنْ.

Plur.		Sing.
Patres پَدَرَانْ	Nom.	Pater پَدَرْ
پَدَرَانْ	Gen.	پَدَرْ
پَدَرَانْرَا	Dat.	پَدَرْرَا
پَدَرَانْرَا	Acc.	پَدَرْرَا
اِي پَدَرَانْ	Voc.	اِي پَدَرْ
آزْ پَدَرَانْ	Abl.	آزْ پَدَرْ

Paradigma 2ª declinationis in هَا.

Plur.		Sing.
Cœli آسْمَانْهَا	Nom.	Cœlū آسْمَانْ
آسْمَانْهَا	Gen.	آسْمَانْ
آسْمَانْهَارَا	Dat.	آسْمَانْرَا
آسْمَانْهَارَا	Acc.	آسْمَانْرَا
اِي آسْمَانْهَا	Voc.	اِي آسْمَانْ
آزْ آسْمَانْهَا	Abl.	آزْ آسْمَانْ

Multa

Multa nomina ſunt quæ utráſque terminationes آن & ها in Plurali, ídque indifferenter, obtinent : ut دوستی amicitia, دوستان & دوستها amicitiæ, برادر frater, برادران & برادرها fratres.

In lexico Perſo-Turcico ſcriptum reperi, *Omnia paſsim nomina pro libitu* آن *&* ها *uſurpare poſſe in plurali numero* : quod ego, ſi in aliquibus conceſſerim, in omnibus ægrè animum induco. Certum enim eſt quæ in ه terminantur, rariùs in آن vel ها, frequentiùs in گان deſinere, quod iis peculiare eſt : ut بنده ſervus, بندهان ſervi, & بندهگان & بندگان ſervi, expreſſo, vel eliſo ه, ſic ماده fœmina, مادهگان & مادگان fœminæ.

Sciendum eſt Dativum, & Accuſativum, abjectâ notâ caſuali را, plerumque ſimiles eſſe nominativo caſui, à quo non aliter diſcerni poſſunt, niſi ex ſenſu, & orationis texturâ.

De

De Comparatione.

C*Omparatio* eſt affectio adjectivis ſpecialiter conveniens, quorum ſignificatio augeri poterit,aut minui.

Comparationis tres ſunt gradus, *poſitivus*, *comparativus*, *ſuperlativus*.

Poſitivus, ſive abſolutus, rem nudè ponit; éſtque adjectivum nomen abſolutè ſumptũ, ut سیاه niger, پیر vetuſtus.

Comparativus collationem inſtituit, & ſignificat exceſſum alicujus qualitatis reſpectu unius, aut plurium: formatur à poſitivo addendo تر, ut à سیاه niger, سیاهتر, nigrior, à پیر vetuſtus, پیرتر vetuſtior.

Notandum, quãdo inter duas res comparatio inſtituitur, rei, cui fit comparatio, particulam از, item از آنکه aliquando, præponi, ut از انکبین شیرنتر melle dulcius چند مرد از گوسفند بهتر Homo quantò melior ove?

شُتُرْ دَرْ سُوفَارْ سُوزَنْ آسَانْتَرْ كُذَرَدْ از آنْكِهْ تُوَانْكَرْ دَرْ مَلَكُوتْ خُدَا آنْدَرْ رَوَدْ *Camelus per foramen acus faciliùs transibit, quàm dives in regnum Dei ingredietur.*

Comparativus diminuitur suffixo كْ, & *positivus* intenditur præposito بِسيَارْ multùm, seu valdè; ut سِيَاتَرَكْ paulò nigrior, بِسيَارْ سِيَاهْ valdè niger, پِيرْتَرَكْ paulò vetustior, بِسيَارْ پِيرْ valdè vetus.

Superlativus significat excessum respectu plurium; & formatur à comparativo addendo يِنْ, ut à سِيَاهْتَرْ nigrior, سِيَاهْتَرِينْ nigerrimus, à پِيرْتَرْ vetustior, پِيرْتَرِينْ vetustissimus.

De *Nominibus* Numeralibus.

NOmina *Numeralia* sunt, vel *Cardinalia*, vel *Ordinalia*. *Cardinalia* numerum absolutè significant. ut

Unum يَكْ & يِكْ

Duo دُو

Tria سه ۳
Quatnor چهار ۴
Quinque پنج ۵
Sex شش ۶
Septem هفت [illegible] ۷
Octo هشت ۸
Novem نه ۹
Decem ده ۱۰
Undecim یکزده & یازده ۱۱
Duodecim دوازده & دوانزده ۱۲
Tredecim سیزده ۱۳
Quatuordecim چهارده ۱۴
Quindecim پانزده ۱۵
Sedecim شانزده & ششده ۱۶
Septendecim هفده & هفتده ۱۷
Octodecim هشده & هژده & هجده ۱۸
Novendecim نوزده ۱۹
Viginti بیست ۲۰
Viginti unum بیست و یک & بیست یک ۲۱
Viginti duo بیست و دو & بیست دو ۲۲

Trigin-

Triginta	سی	٣٠
Triginta unum	سی و یک	٣١
Triginta duo	سی و دو	٣٢
Quadraginta	چهل	٤٠
Quinquaginta	پنجاه	٥٠
Sexaginta	شست & شصت	٦٠
Septuaginta	هفتاد	٧٠
Octoginta	هشتاد	٨٠
Nonaginta	نود	٩٠
Centum	صد	١٠٠
Ducenti	دو صد & دویست	٢٠٠
Trecenti	سه صد & سیصد & سصد	٣٠٠
Quadringenti	چهار صد	٤٠٠
Quingenti	پنصد	٥٠٠
Sexcenti	شش صد	٦٠٠
Septingenti	هفت صد	٧٠٠
Octingenti	هشت صد & هشصد	٨٠٠
Noningenti vel nongenti	نهصد	٩٠٠
Mille	هزار	١٠٠٠
Duo millia	دو هزار	٢٠٠٠

Decem millia دَهْ هَزَارْ 1....

Centum millia صَدْ هَزَارْ 1.....

Decies centena millia دَهْ صَدْ هَزَارْ 1......

Modus uniendi nomina cardinalia facilis eſt; Fit enim præfixâ copulâ وُ *e.g.* A centro terræ ad extimam ſuperficiem octavæ ſphæræ, inquit *Shah Koſhgius* Aſtronomus Perſa, ſunt, سِي وُ سِهْ هَزَارْ بَارْ هَزَارْ وُ پَانْصَدْ وُ بِيسْت وُ چَهَارْ هَزَارْ وُ سِيصَدْ وُ نُهْ فَرْسَخْ h. e. 33.524.309 paraſangæ, ſive 100.572.927 millia paſſuum.

Ordinalia numerum in ordine ſignificant: vel, ut *Laurentius Valla* definit, ultimum numeri deſignant; formantur à Cardinalibus, addendo مِ; ut.

Primus نُخُسْت & نُخُسْتِين & أَوَّل itē يِكُمْ & يِكُمْ

Secundus دُوِيمْ & دُوُمْ

Tertius سِيُمْ & سِيوُمْ & سُوِيمْ & سُوُمْ

Quartus چَهَارُمْ

Quintus پَنْجُمْ

Sextus

Sextus ششم

Septimus هفتم

Octavus هشتم

Nonus نهم

Decimus دهم

Undecimus يازدهم

Duodecimus دوازدهم

Vicesimus بيستم

Vicesimus primus بيست و يكم

Vicesimus 2.us بيست و دوم

Tricesimus سيم

Tricesimus primus سي و يكم

Tricesimus secundus سي و دوم

Quadragesimus چهلم

Quinquagesimus پنجاهم

Sexagesimus ششتم & شصتم

Septuagesimus هفتادم

Octogesimus هشتادم

Nonagesimus نودم

Centesimus صدم

Centeſimus primus	صد و یکم
Centeſimus ſecundus	صد و دوم
Ducenteſimus	دویستم
Trecenteſimus	سه صدم
Quadringenteſimus	چهار صدم
Quingenteſimus	پنصدم
Sexcenteſimus	ششصدم
Septingenteſimus	هفصدم
Octingenteſimus	هشصدم
Noningenteſimus	نهصدم
Milleſimus	هزارم
Bis milleſimus	دو هزارم
Decies milleſimus	ده هزارم
Centies milleſimus	صد هزارم
Decies centies milleſimus	ده صد هزارم

In utriſque tam Cardinalibus, quàm Ordinalibus, nulla ineſt difficultas, aut anomalia.

De Pronominibus.

P*Ronomina* ſunt quæ vicem nominis ſubeunt, & certam finitámque rem, vel perſonam, adſignificant ; ſuntque quadruplicia. *Perſonalia*, *Demonſtrativa*, *Relativa*, & *Poſſeſsiva.*

Perſonalia tria ſunt, مَن ego, تو tu, او ille, quæ numeris, & caſibus, ferè ut nomina variātur, in nonnullis verò nonnihil deflectunt.

Paradigma مَن.

Plur.			Sing.	
Nos	ما	Nom.	Ego	مَن
Noſtrûm	ما	Gen.	Mei	مَن
Nobis	مارا	Dat.	Mihi	مرا
Nos	مارا	Acc.	Me	مرا
	اي ما	Voc.		اي مَن
à Nobis	از ما	Abl.	à Me	از مَن

In Pentateucho Perſico in Plurali eſt, Nom: אִיםָא nos, Gen. אִימָא Dat. אִימָארָא &c.

Paradigma تو.

Plur.			Sing.	
Vos	شما	Nom.	Tu	تو
Veſtrûm	شما	Gen.	Tui	تو
Vobis	شمارا	Dat.	Tibi	تورا
Vos	شمارا	Acc.	Te	تورا
ô Vos	اي شما	Voc.	ô Tu	اي تو
à Vobis	از شما	Abl.	à Te	از تو

او ille.

In ſingulari numero regulare eſt, & flectitur ut تو; Pluralis deſideratur, loco ejus ايشان ſubſtituitur.

Demonſtrativa ſunt اين & آن, ſignificántque, hic, iſte, ipſe, is; ſed cum hoc diſcrimine اين ågmen veluti ducit, & in oratione præcedit; آن ſequitur; اين proximius, آن remotius indicat. Para-

Paradigma اِينْ hic.

Plur.		Sing.
hi, hæ, hæc, اِيشَانْ	Nom.	hic,hæc,hoc, اِينْ
اِيشَانْ	Gen.	اِينْ
اِيشَانْ رَا	Dat.	اِينْ رَا
اِيشَانْ رَا	Acc.	اِينْ رَا
اِي اِيشَانْ	Voc.	اِي اِينْ
آزْ اِيشَانْ	Abl.	آزْ اِينْ

Reperio etiam in Plurali, Nom. اِينْهَا Gen. اِينْهَا Dat. اِينْهَارَا.

آنْ ille, Plur. آنَانْ & آنْهَا illi, illæ, *illa*, more nominum inflectitur.

Judæi, dum ſingulas textus Hebraici literas, & voculas enumerant, ה emphaticum, nominibus præponi ſolitum, per pronomen آنْ ubique reddiderunt, & את per مَرْ, quod reſpondet Arabico لِ: unde in Pentateucho illo Perſico oratio incondita eſt, & paulò inſuavior.

Relativum eſt, vel *ſimplex*, ut كه qui, چه quod; illud relativum perſonæ eſt, hoc rei (كه regulariter in ſingulari inflectitur:) vel *Compoſitum*, ut آنچه , fit ex آن & چه et reſpondet Hebræorum אֲשֶׁר vel Arabum مَا, ſignificátque *id quod*.

Poſſeſsiva pronomina *ſeparata*, et propria, nulla ſunt, ſed eorum vicem primitiva ſupplent, hoc modo. جَانْ مَنْ anima mea, شَرْطِ تُو pactum tuum, مَالْ أو divitiæ ejus, پَدَرْ مَا pater noſter, دَسْتِ شُمَا manus veſtra, خَيْمَهٔ اِيشَانْ tentorium eorum.

Affixa ſunt م, ت, ش, quæ cum nominibus conjuncta poſſeſsionem ſignificant, referúntque pronomina poſſeſsiva, ut پِسَرْ filius, پِسَرُمْ filius meus, پِسَرَتْ filius tuus, پِسَرَشْ filius ejus.

His ſubnectenda ſunt pronomina, quibus in interrogando Perſæ utũtur: nempe كه vel كي quis; & چه vel چي quid. كي ſemper cum

cum verbo ſubſtantivo آسْت *eſt*, in unam dictionem coaleſcit; ut اَزْ كيست cujus eſt? مرا كيست كه Quis eſt qui me? چه ſive چي plerunque ſeparatim exprimitur, ut چه خبر quid novi? چي كردي quid feciſti? ſed cum آست eodem modo conjungitur, ac كي h.e. Eliph excidit, ut چيست quid eſt?

De Verbo.

V*Erbum* eſt vox, modis, & temporibus, inflexa, quæ agere, pati, vel eſſe, ſignificat, cum certâ temporis differentiâ; unde *Varroni nomen temporale* dicitur.

Verbo accidunt, *forma*, *figura*, *ſpecies*, *conjugatio*, *modus*, *tempus*, *perſona*.

Quoad formã Verbum dividitur in *Activum*, *Paſſivum*, & *Neutrum*; et hæc rurſus ſubdividũtur, in *Verba perfecta*, & *imperfecta*, ſeu anomala.

Figura Verborũ aut *ſimplex* eſt; aut *compoſita*.

Verbum Activum ſimplex unâ ſimplici voce actionem exprimit, ut طلبيدن petere, آموختن

 diſcere,

discere, گرفتن sumere, کردن facere, داشتن
habere, دادن dare, کشیدن trahere, گزیدن
mordere, دیدن videre, شنیدن audire,
شستن lavare, کشتن occidere, خواستن velle.

Compositum, quod ex verbo simplici & substantivo, aut adjectivo, aut præpositione, aut aliâ orationis parte, efformatur. Verba huic compositioni præcipuè inservientia sunt کردن facere (quod vel maximè in usu est,) داشتن habere, ساختن facere, بردن portare, خوردن deglutire, edere, bibere, آوردن adferre, زدن verberare, atque alia inter legendum observanda; ut بارکردن onerare, q.d. onus facere, پرکردن implere, جنگ کردن bellum gerere, دوست داشتن amare, باور داشتن item باور کردن credere, هموار ساختن Ἑτοιμάζειν فرمان بردن obedire, سوگند خوردن jurare, بازی خوردن fallere, اقرار آوردن confiteri, بانگ زدن clamare, منادی زدن prædicare; et infinita id genus

genus alia : quod si quis nonnulla ex his potiùs Verbis neutris judicaverit esse accensenda, non repugno.

Passivum fit, & in verbis simplicibus, & in verbis compositis, plerunque à verbo Substantivo شُدَنْ esse, & participio præteriti Activi; aliquando etiam fit à كَرْدِيدَنْ & كَشْتَنْ (quæ *esse* & *fieri* significant) cum participio præteriti : ut كُشْتَهْ شُدَنْ occidi, شُشْتَهْ شُدَنْ lavari, كَشِيدَهْ شُدَنْ trahi, بَارْ كَرْدَهْ شُدَنْ onerari, پُرْ كَرْدَهْ شُدَنْ impleri : Similiter كُشْتَهْ كَرْدِيدَنْ occidi, شُسْتَهْ كَشْتَنْ & شُسْتَهْ كَرْدِيدَنْ lavari.

Passivum etiam fieri potest ab adjectivis nonnullis & شُدَنْ, & nonnunquam à nominibus substantivis, eodem modo quo fit à participio, ut دُرُسْتْ شُدَنْ sanari, عِمَارَتْ شُدَنْ ædificari.

Neutrum duplex est, *Simplex*, ut آمَدَنْ venire, تَرْسِيدَنْ timere, لَرْزِيدَنْ tremere,

نَالِيدَنْ gemere, اُفْتَادَنْ cadere, مُرْدَنْ mori, زِيسْتَنْ vivere, رَفْتَنْ ire, دَوِيدَنْ currere.

Compositum, ſæpiſsimè fit ex شُدَنْ et Adjectivo, aut Subſtantivo ; & nonnunquam è دَاشْتَنْ unà cum Adjectivo, aut Subſtantivo : ut خَمُوش شُدَنْ ſilere, هُشْيَارْ شُدَنْ cautum eſſe, بِيدَارْ شُدَنْ evigilare, رُوشَنْ شُدَنْ fulgere, حَيَا شُدَنْ & حَيَا دَاشْتَنْ verecundum eſſe, رُوزَهْ دَاشْتَنْ jejunare.

Hactenus de Verborum *formis*, & *figuris*.

Verbum quoad ſpeciem dividitur in *Primitivum*, ut خُفْتَنْ dormire, سُوخْتَنْ comburere, چَشِيدَنْ guſtare : & *Derivativum*, quod à primitivo deducitur : deſinitqne vel in يدَنْ vel انيدَنْ vel آنِيدَنْ in Infinitivo.

Quæ in يدَنْ deſinunt, formantur à Præſenti, & à ſecundâ perſonâ ſingulari primitivorum ; ut à سُوخْتَنْ comburere, سُوزِي comburis, fit nova ſpecies سُوزِيدَنْ comburere.

Quæ

Quæ in آنيدَنْ terminantur, fiunt tam à primitivis, quàm derivativis in يدَنْ deſinentibus; ut à چشيدَنْ guſtare, چشانيدَنْ facere guſtare, à تابيدَنْ ſplendere, تبانيدَنْ facere ſplendere, à سوزيدَنْ comburere, سوزانيدَنْ facere comburere. Verba igitur Neutra, aſſumptâ hâc terminatione, mutantur in Activa, & Verba Activa in مُتَعَدّي ſive *dupliciter Activa*, ut loquuntur Grammatici.

Denique, quæ in أَيانيدَنْ terminantur, fiunt ab Infinitivis in آنيدَنْ deſinentibus, ſùntque ejuſdem ſignificationis.

Conjugatio una eſt.

Modi tres ſunt, *Indicativus*, *Imperativus*, *Infinitivus*. Atque hi tres ſolummodo ab Hebræis, Chaldæis, Syris, Arabibus, & Æthiopibus, ut genuini agnoſcuntur; reliqui ſupplentur præfixis particulis optandi, aut ſubjungendi.

Radix, ſeu thema, omnium Modorum,

& Temporum, à Lexicographis Perſicis, Infinitivus ponitur: quod forſan multò etiam in Hebræâ linguâ, propter quieſcentia *Ain* ו, & י, eſſet conſultius.

Infinitivi omnes, aut in دَنْ deſinunt, aut in تَنْ.

Tempora quinque ſunt; quorum quædam facilè à radice, *h.e.* Infinitivo ducuntur, quædam paulò difficiliùs, ut mox docebitur.

Perſonæ tres ſunt, & duo *Numeri*, Singularis, & Pluralis. Dualem Perſæ non uſurpant.

Literæ formativæ, ſive *indices perſonarum*, in omnibus Temporibus eædem ſunt, ſi tertiam ſolùm perſonam præteriti perfecti excipias in numero ſingulari; quæ terminatur in د ab Infinitivo دَنْ, in ت ab Infinitivo تَنْ.

م primam perſonam ſingularem ubiq; indicat, ی ſecundam, د tertiam, یم primā perſonam pluralem, ید ſecundam, ند tertiam: quæ videntur aſſūptæ à verbo Subſtantivo استد *eſt. e.g.*

ام

آنْد. اِيذْ. يِمْ اَسْت. اِي. آمْ
Sum, es, est, sumus, estis, sunt.

Temporibus, distinctionis gratiâ, notæ aliquæ tanquàm characteristicæ solent præfigi, sc: مي et interdum هَمي Præsenti & Imperfecto, ب Futuro, & Imperativo, quæ aliquando etiam præterito perfecto præponuntur, ut هَمي خُورَمْ & مي خُورَمْ comedo, مي خُورْدَمْ comedebam, بِخُورَمْ comedam بِخُورْ comede. Verùm hæ notæ (Temporum characteres) in Verbis simplicibus, & compositis, sæpè omittuntur: in compositis nonnunquam interseruntur, inter ipsum Verbum, & Nomen, aut inter Verbum & Præpositionem, ut بُرْ كَرْدَنْ implere, بُرْ مي كُنَمْ impleo, دَرْ آمَدَنْ introire, دَرْ مي آيَمْ introeo.

Formatio Temporum.

Præsens ab Infinitivo variè deducitur. Infinitivus, ut jam dictum est, desinit in دَنْ, aut تَنْ. Ex his Infinitivi termina-

 tioni-

tionibus *Præsens* ritè efformare, præcipua Linguæ Persicæ difficultas est. Nos hanc varietatem ad paucas regulas reducemus.

Reg. 1. Quorum Infinitivus desinit in دَنْ, ea syllabicam terminationem دَنْ, sine aliâ mutatione, in م mutant in primâ personâ Præsentis, & singulari numero; ut à شُمُرْدَنْ numerare, مي شُمُرَم numero, خُوَانْدَنْ vocare, مي خُوَانَم voco, رَانْدَنْ persequi, مي رَانَم persequor, كَنْدَنْ fodere, مي كَنَم fodio.

Eandem etiam flectionem sequuntur, quæ in يدَنْ vel آييدَنْ terminantur in Infinitivo; similiter enim يدَنْ in م convertunt in Præsenti, ut بُرِيدَنْ scindere, مي بُرُم scindo, چَرِيدَنْ pascere, مي چَرَم pasco, دَرِيدَنْ lacerare, مي دَرَم lacero, خَنْدِيدَنْ ridere, مي خَنْدَم rideo, خَرِيدَنْ emere, مي خَرَم emo, چَشِيدَنْ gustare, مي چَشَم gusto, كَرَوِيدَنْ credere, مي كَرَوَم credo, پُوشِيدَنْ induere, مي پُوشَم induo, پُوشَانِيدَنْ facere induere, مي پُوشَانَم facio induere.

Quæ

Quæ verò habent و immediatè ante دَن in præſenti mutant دَن in يَم , & و etiam in ا commutatur, ut آزمودن tentare, مي آزمايم tento, ستودن laudare, مي ستايم laudo, نمودن oſtendere, مي نمايم oſtendo.

Anomala cenſenda ſunt شدن eſſe, مي شوم ſum, دادن dare, مي دهم do, زدن verberare, مي زنم verbero, ديدن videre, مي بينم video, آمدن venire, مي آيم venio, آوردن adferre, مي آرم adfero, licèt مي آورم regulariter inveniatur. آفريدن creare, مي آفرينم creo, كشادن aperire, مي كشايم aperio, كردن facere, مي كنم facio.

*Reg.*2. Quorum Infinitivus deſinit in تَن , ea etiam ſyllabicam terminationem تَن in م vertunt in præſenti, & litera immediatè præcedens تَن , quæ ſolet eſſe vel خ , vel س , vel ش , vel ف , variè commutatur in præſenti. *e.g.*

Si خ præcedat, vel خ reſolvitur in ز,

ut سُوخْتَنْ comburere, مِيسُوزَمْ comburo, اَنْدَاخْتَنْ jacere, مِيآنْدَازَمْ jacio : vel mutatur in literam ejuſdem organi cum ز. *h. e.* in س, vel ش, ut شِنَاخْتَنْ cognoſcere, مِيشِنَاسَمْ cognoſco, فُرُوخْتَنْ vendere, مِيفُرُوشَمْ vendo.

Si س præcedat cum Fathâ, س aliquando mutatur in ن, ut شِكَسْتَنْ frangere, مِيشِكَنَمْ frãgo; aliquando in ه, ut جَسْتَنْ ſaltare, مِيجَهَمْ ſalto, كَاسْتَنْ ſubtrahere, مِيكَاهَمْ ſubtraho: aliquando in ي, ut كِرِسْتَنْ flere, مِيكِرِيَمْ fleo. excipe خَاسْتَنْ ſurgere, مِيخِيزَمْ ſurgo, qd peculiarem anomaliam obtinet, ut et بَسْتَنْ ligare, مِيبَنْدَمْ ligo.

Si س præcedat cum Dammâ convertitur in و, ut جُسْتَنْ quærere, مِيجُويَمْ quæro, شُسْتَنْ lavare, مِيشُويَمْ lavo.

Si س præcedat cum Keſrâ convertitur in ي, ut زِسْتَنْ vivere, مِيزِيَمْ vivo : vel frequentiùs abjicitur, ut دَانِسْتَنْ ſcire, مِيدَانَمْ ſcio, تُوَانِسْتَنْ poſſe, مِيتُوَانَمْ poſſum, ſed نِشِسْتَنْ ſedere, in præſenti habet نِشِينَمْ ſedeo, interjecto ي. Si

Si præcedat ش cum ا , convertitur in ر , ut داشتن habere, مي دارم habeo , گذاشتن præterire,relinquere, مي گذارم prætereo,relinquo : ſine ا antecedente regulariter flectitur, ut كشتن occidere, مي كشم occîdo.

Ultimò,ſi præcedat ف mutaturin ب,vel و ; quæ cùm ſint literæ ejuſdem organi , ut Grammatici notāt, facilè inter ſe commutantur:ita كوفتن pulſare,مي كوبم pulſo, يافتن invenire, مي يابم invenio,رفتن ire, مي روم eo.

Excipienda ſunt گفتن dicere, مي گويم dico, گرفتن capere, مي گيرم ſive مي گرم capio, quæ anomala cenſenda ſunt.

Cognitis,Preſenti,et Infinitivo,in reliquis temporibus deducendis nulla eſt difficultas. A Præſenti enim, aut Infinitivo omnia formantur. Nempe *Præteritumperfectum, imperfectum,& pluſquamperfectum,ab Infinitivo:Futurum* verò,atque etiam *Imperativus modus*,à *Præſenti.*

Perfectum fit mutando ن infinitivi in م ,

ut خُورْدَنْ edere, خُورْدَمْ edi, دَانِسْتَنْ ſcire, دَانِسْتَمْ ſcio.

Imperfectum fit præponendo مِي ante præteritum, ut مِيخُورْدَمْ edebam, مِيدَانِسْتَمْ ſciebam.

Pluſquamperfectum fit à participio præteriti, & verbo ſubſtantivo بُودَنْ *eſſe*, ut خُورْدَهْ بُودَمْ ederam, دَانِسْتَهْ بُودَمْ ſciveram. Participium autem præteriti idem eſt cum infinitivo, mutato ſolùm ن in ه, ut ſuo loco dicetur.

Futurum fit à præſenti abjiciendo مِي & præponendo بِ vel بِهْ, ut بِخُورَمْ vel بِهْ خُورَمْ edam, بِدَانَمْ ſciam.

هَرْچِهْ تُو بِكُنِي مَنْ بِكُنَمْ
Quicquid feceris faciam.

Solent nonnulli *futurum ſecundum*, quod compoſitum vocant, adjungere; verùm id nullo cum diſpendio omitti poteſt: fit enim à verbo خُواهَمْ volo, & ab infinitivo, eliſâ ن notâ

notâ ejus, quæ alibi etiam excidit: ut خُوَاهَمْ خورْد خُوَاهَمْ volo edere, *h.e.* edam. خُوَاهَمْ دَانِسْتَن volo ſcire, *h.e.* ſciam.

Imperativus affirmativus eſt idem cum futuro, abjectâ ſolùm ejus terminatione ي in ſecundâ perſonâ ſingulari; ut بِخُورْ ede, بِدَانْ ſcito. à بِخُورِي edes, بِدَانِي ſcies.

Notandum autem ب in Imperativo, euphoniæ gratiâ, ut بَ *be*, vel بِ *bi*, vel بُ *bu*, pronunciari, pro ratione vocalium, et conſonantiũ ſequentium; in Lexico tamen Perſo-Turcico ſemper بُ ſcriptum reperi: item et in *futuro*, et in *imperativo*, ب cum ي præfigi, ſi verbum incipit ab ا, ut آفْرُوخْتَن accendere, بِيَافْرُوشَمْ accendam, بِيَافْرُوش accende; quo caſu ا verbi non raró omittitur, ut بِيَفْرُوشَمْ accendam, بِيَفْرُوش accende.

Imperativus negativus, fit præfixâ م negationis notâ, vel particulâ نَهْ in locum ب, ut مَخُورْ & نَهْخُورْ ne ede, مَدَانْ & نَهْدَانْ neſcito. Si prima radicalis incipiat ab ا, mutatur ء in ي ut مَيَا et نَيَا ne veni, pro مَآ et نَآ.

Conjugatio Verbi perfecti خُورْدَنْ edere.

Præſens.

Ego	edo,	Singularis.	مَنْ مِيخُورَمْ
Tu	edis,		تُو مِيخُورِي
Ille	edit,		اُو مِيخُورَدْ
Nos	edimus,	Pluralis.	مَا مِيخُورِيمْ
Vos	editis,		شُمَا مِيخُورِيدْ
Illi	edunt.		اِيشَانْ مِيخُورَنْدْ

Præteritum imperfectum.

Edebam,	Singularis.	مِيخُورْدَمْ
Edebas,		مِيخُورْدِي
Edebat,		مِيخُورْد
Edebamus,	Pluralis.	مِيخُورْدِيمْ
Edebatis,		مِيخُورْدِيدْ
Edebant.		مِيخُورْدَنْدْ

Præteri-

Præteritum perfectum.

Edi,	Singularis.	خوردم
Edisti,		خوردي
Edit,		خورد & خورده است
Edimus,	Pluralis.	خورديم
Ediſtis,		خورديد
Ederunt.		خوردند

Præteritum plusquamperfectum.

Ederam,	Singularis.	خورده بودم
Ederas,		خورده بودي
Ederat,		خورده بود
Ederamus,	Pluralis.	خورده بوديم
Ederatis,		خورده بوديد
Ederant.		خورده بودند

H Futu-

Futurum.

Edam,	Singularis.	بِخُورَمْ
Edes,		بِخُورِي
Edet,		بِخُورَدْ
Edemus,	Pluralis.	بِخُورِيمْ
Edetis,		بِخُورِيدْ
Edent.		بِخُورَنْدْ

Futurum 2um vel Compositum.

Volo edere.	Singularis.	خُواهَمْ خُورْد
		خُواهِي خُورْد
		خُواهَدْ خُورْد
	Pluralis.	خُواهِيمْ خُورْد
		خُواهِيدْ خُورْد
		خُواهَنْدْ خُورْد

Impera-

Imperativus.

Ede,	Singul.	بخور
Edat,		بخورد
Edamus,	Pluralis.	بخوریم
Edatis,		بخورید
Edant.		بخورند

Infinitivus.

Edere, خوردن & خورد *Præsens.*
Ediſſe. خورده بودن & خورده بوده *Præt.*

Participium.

Edens, خورا & خوران *Præſens.*
Qui edit, *&* qui eſus eſt. خورنده *Præt.*

Gerundia formantur ab Infinitivo mediante præpoſitione, vel nomine, & modum, aut finem actionis declarant; ut

 بخوردن

بِخُورْدَنْ edendo, خُورْدَنْ گَاهْ tempus edendi, پِيشْ خُورْدَنْ ante edendum.

Ad hanc conjugandi formam, aliorum Verborum, quæ perfecta ſint, conjugatio, flectenda eſt.

Advertendum, ut ſuprà dictum eſt, tertiam perſonam ſingularem præteriti perfecti, & imperfecti, eandem obtinere terminationem, quam habet Infinitivus, rejecto ن; ideóque quæ in دَنْ exeunt, in د terminantur, quæ in تَنْ in ت; ut مَانْدَنْ manere, مَانْد manſit, يَافْتَنْ invenire, يَافْت invenit.

Alia etiam eſt præteriti perfecti formatio per Verbum Subſtantivum هَسْتَنْ *eſſe*, & participium præteriti, ut خُورْدَهْ هَسْتَمْ edi, خُورْدَهْ هَسْتِي ediſti, خُورْدَهْ هَسْت edit, &c. ubi ه ſæpè eliditur propter concurſum alterius ه, ut خُورْدَهَسْت edit.

In Infinitivo ن characteriſticum ſæpè abjicitur;

abjicitur; ut خوره edere, pro خوردن:
& ة participii præteriti quoque tollitur;
ut خورده qui edit, vel esus est, pro خورده, ita
نويسته qui scripsit, vel scriptus est (Græcè
γεγραφὼς & γεγραμμένος,) pro نويسته. Unde
tertia persona singularis præteriti perfecti,
Infinitivus, & Participium præteriti, viden-
tur inter se convenire; sed ex orationis sen-
su facilè à se invicem distinguuntur.

Infinitivus nihil aliud est quàm ipsum
